

spernendum aut abiiciendum puto, quod ad Apolophanem, una observantem eam solis defectionem, converfus protulisse dicitur: *Aut Deus aut natura patitur.* Adde Dionysi, aut fit utrumque, recte senties. Cui Apolophanem respondisse aiunt, *praecclare Dionysi, divinarum sunt vicissitudines rerum.* Quibus omnibus augetur certe pietas in contemplanda sollicitate historia illius rei, tanta solertia ac fide a scriptoribus sacris in novis tabulis notatae. Varia sunt, quibus ostendi potest, motum terrae ab iis memoriae proditum reliquis longe maiorem ac magis notabilem fuisse. Accidit enim non fortuito, sed consilio divino, non ex causis naturalibus, quas ii frequenter iactitant, qui Deum ubique nihil fecisse mallent, sed virtute Iesu, ipso eius momento fatali, qui & in morte sua omnia efficere valet, & cuius voce, qua Deo spiritum commendavit, coelum & terra tremefacta sunt. Non tam miror urbes eo motu eversas, quod PLINIVS (4) indicare videtur, & rupe dissolutas disiectasque fuisse, idem enim in reliquis terrae motibus factum esse, relatum legimus, ac nostra memoria experti sumus. Verum illud divinissimum esse arbitror, quod praeter omnem terrae motus naturam tumuli, quibus ossa mortuorum condita cubabant, non corruerint, & magis magisque obruti fuerint atque collapsi, sed potius referati, ut ianua quasi digito Dei aperta, exire potuerint mortui. Illud enim omnes sciunt in terrae motu omnia corruere, omnia collabi, omnia confundi, ac ima summis misceri; at adaperta sepulcra, & resuscitatos mortuos esse terrae motu, nusquam memoratum legimus. Alterum, quod aequè miraculo plenum, illud est, quod contra concussionis terrae naturam res molles, non durae, non lapideae, fractae ac discissae fuerint. Denuo experientiam testor, neque vestes, neque lina, nec lanas, nec vela, aut quaecunque demum e lino aut lana confici solent, terrae motu scindi solere. At eo terrae motu velum recens

ad